



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Tertivm. Ecclesiarum oblationes sub laicorum dominio non detineantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

DECRETA DAMASI PAPÆ I.

Ex decreto Gratiani & Iuonis, numero quinque, prioribus non inserta.

PRIMUM.

Si accusator in accusatione defecerit, talionem recipiat.

1. q. 3. Calumniator, si in.

Calumniator, si in accusatione defecerit, talionem recipiat.

SECUNDUM.

De his qui clericum falso nomine impetunt.

Ibidem.
Si quis episcopum.

Si quis episcopum, aut presbyterum, aut diaconum falsis criminibus impetierit vel accusauerit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei communionem censemus.

TERTIUM.

Ecclesiarum oblationes sub laicorum dominio non detineantur.

10. q. 1. Hęc consuetud.

Leuit. 2. 24.

Hanc consuetudinem, quæ contra sanctam ecclesiam catholicam agere videtur, omnino interdicimus, vt nullo modo, vlllo vnquam tempore, oblationes quæ intra sanctam ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur: sed tantummodo sacerdotibus, qui quotidie Domino seruire videntur, illis solis liceat comedere & bibere: quia in veteri testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filiis Israel, nisi tantummodo Aaron & filiis eius, qui longe erant ab istis panibus, qui nunc in sancta ecclesia offeruntur, quia illi sub vmbra legis erant. Qui vero modo sub gratia sunt Spiritus sancti, toti mundo euangelio coruscante, lucidiores esse videntur. Qua fronte, aut qua conscientia oblationes vultis accipere, qui vix valetis pro vobis, nedum pro aliis, Deo preces offerre? Quia prauum est & contra Dominicum præceptum, & detrimentum animæ suæ infert, qui illud agere conatur, quodei nulla ratione conceditur: quia omnibus sanctis patribus, nostrisque prioribus placuit, hanc sanctionem fieri; & nos similiter in eisdem persistere,

I. sistere volumus, vt nullus audeat irritum facere hoc quod constitutum est, si in perpetua damnatione noluerit persistere. Si quis vero contra hanc regulam nostram, & contra sanctorum trecentorum decem & octo patrum, qui in Nicæno Concilio hoc constituerunt, temerarius præsumptor fuerit, & vterius oblationes de sacris ecclesiis auferre molitus fuerit, sub anathematis vinculo sit colligatus & condemnatus. Responderunt omnes, Fiat, fiat.

QVARTVM.

*In Spiritum sanctum blasphemant, qui sacros
Canones violant.*

Violatores Canonum voluntarie, grauius a sanctis patribus iudicantur, & a sancto Spiritu, cuius instinctu ac dono dictati sunt, damnantur: quoniam blasphemare in Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sacros Canones, non necessitate compulsi, sed libenter (vt præmissum est) aliquid aut proterue agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio, manifeste vnum genus est blasphemantium in Spiritum sanctum: quia (vt iam prælibatum est) contra eum agit, cuius nutu & gratia sancti Canones editi sunt.

25. quæst. 1.
Violatores.

QVINTVM.

Ex decreto Iuonis Carnotensis, libro primo.

Quoniam quidam metropolitanorum, fidem suam secundum priscam consuetudinem sanctæ sedis apostolicæ exponere detrectantes, vsum pallii neque expetunt, nec percipiunt, ac per hoc episcoporum consecratio, viduatis ecclesiis, non sine periculo protelatur: placuit, vt quisquis metropolitanus infra tres menses consecrationis suæ, ad fidem suam exponendam, palliumque suscipiendum, ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi careat dignitate: sitque licentia metropolitanis aliis, post secundam & tertiam commonitionem, viduatis ecclesiis, cum consilio Romani pontificis, ordinando epi-

Concil. Tom. 3.

PP